

identitate et authenticitate certo non constat?

S. C. resp.: Negative ad utramque partem.

Die 27. Sept. 1817.

In Null. Prov. Compost.

Reliquiae etiam non approbatae ad ornatum Crucis in Cruce collocatae possunt cum ea exponi, quasi accessorie. *Sanct. ut supra* n. 17.

Antiquae Reliquiae habendae sunt ea veneratione, qua hactenus sunt habitae. Decisum refert *Barbos.* de jure Eccles. l. 1. cap. 79. n. 12.

Corpora Sanctorum nondum canonizatorum non possunt poni sub altari. Cong. Episcop. 10. Junii 1587.

Non exponantur Reliquiae nec etiam a Regularibus sine licentia Episcopi in scriptis, cum ejus approbatione. *Conc. Prov. Mediol. I.*

Neque passim exponantur, sed in festis solemnioribus et Sanctorum, quorum sunt Reliquiae; *ibidem.*

Nulla modo exponantur nudaee nec sine luminibus; *ibidem.*

## 20) Extractio.

### a) E Coemet. Romae.

*Clemens PP. X.*

I. Ex commissae Nobis curae pastoralis Officio providere volentes, ut ss. Martyrum corpora et Reliquiae pie ac decenter ac sine turpi quaestu ex hujus almae Urbis coemeteriis extrahantur, asservantur et distribuuntur, tenore praesentium praecipimus, ut nemo ad extrahendas e coemeteriis praefatis Reliquias accedat, nisi ejus rei habeat facultatem scripto, quod (Casparis Card.) moderni seu pro tempore existentis in eadem Urbe Vicarii in spiritualibus generalis sigillo munitum et illius manu subscriptum sit; nec ossa vel corpus ullum sub poena excommunicationis latae sententiae ef-

fodiat et ex aliquo coemeterio extrahat aliter, quam coram Sacerdote per d. Casparam Card. modernum seu pro tempore existentem Vicarium ad id designato, qui diligenter inquirat et cognoscat locum, inscriptiones eaque martyrii signa, quae certiora esse censuit Congregatio VV. FFr. S. R. E. CC. Indulg. et s. Reliquiis proposita.

II. Qua omni recognitione facta statim singula corpora et cujuscunque martyris Reliquias seorsim in capsulis recondat, quas sigillo clausas recta deferri curet ad Urbem in Palatio Nostro asservandas et a pro tempore existente Sacrarum ap. praefacto vel ab alio per pro tempore existentem Vicarium designando, qui probatis moribus ac presbyteratus ordine insignitus sit, custodiendas\*).

III. Haec autem martyrum corpora et Reliquiae ne distribuuntur et publice ad cultum et venerationem exponantur, antequam per pro tempore existentem Vicarium vel alios, quibus haec cura demandata est, examinata et examinatae ac Rom. Pontificis vel memoratae Congreg. auctoritate approbata fuerint.

IV. Quoniam vero eadem s. corpora et insignes Reliquias, videlicet: *Caput, crus, brachium et eam corporis partem, in qua passus est martyr, si tamen integra est, nec in privatis aedibus neque apud laicos homines sed in Ecclesia religiose collocari et asservari par est*, ideo jubemus ea et eas nemini in posterum concedi, qui Ordinarii literas non afferat, quibus apud pro tempore existentem Vicarium commendetur Ecclesiae, pro qua petuntur, dignitas, testatumque fiat operae pretium esse petitis ss. Reliquiis

\* *Alia plura statuta de coemeteriis, in quibus ss. mm. corpora condita sunt, vd. in Constit. Clem. XI. 19. Febr. 1704. (Bull. r. t. VIII. p. 246.)*

Ecclesiam illam donari et ibi futurum, ut ea, qua decet, religione custodiantur et colantur.

V. Excipiendos tamen volumus magnos Principes et praecipuos Ecclesiae Praelatos, cum quibus liberalius agendum erit. Et ne caeterorum quoque fidelium pietas hoc s. munere omnino privetur, *minus insignes Reliquiae illis concedentur.*

VI. In omnibus autem modum servari jubemus, quoniam prae copia saepius accidit, ut sanctiora quaeque minus in pretio habeantur, quod maxime cavendum est. *Conficiatur etiam liber*, in quo s. corpora et Reliquiae extractae adnotentur, tum nomina illorum, quibus Reliquiae ipsae distributae, et ecclesiarum, pro quibus impetratae fuerint. Porro, qui ornant et vendunt capsulas, thecas et vasa, quibus Reliquiae ss. includuntur, Reliquiis alia ne adscribant nomina, nisi quae a pro tempore existente Vicario imponentur, sub viginti quinque scutorum monetae aliisque poenis ejusdem Vicarii arbitrio infligendis. Atque ut omnis tollatur occasio turpis quaestus iis, quorum operam et ministerium in effodiendis et extrahendis s. corporibus idem pro tempore existens Vicarius adhibebit, de pecuniis et elemosynis, quae piis operibus applicandae forent, et de mandato ipsius Vicarii accipient, quantum aequum fuerit pro expensis omnibus et juxta eorum mercedem.

VII. Postremo sub excommunicationis latae sententiae poena per transgressores ipso facto incurrenda districte prohibemus, ne in tradendis s. corporibus et Reliquiis et pro confectione literarum patentium desuper expediendarum, eorumque sigillo, aliquid etiam modicum ullo unquam praetextu etiam a sponte dantibus accipiatur.

VIII. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plena-

rios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter observari.

Non obstantibus quibuscunque Constitutionibus ...

Datum Romae 13. Jan. 1672.

(Bull. r. t. XI. p. 39.)

### b) Licentia et modus.

Extractio Reliquiarum seu translatio corporum et Reliquiarum, si perpetuae tradita sunt Sepulturae, non potest fieri sine auctoritate Papae vel Sanctae Synodi. *Sylv. V. : Reliquiae SS. qu. 3.*

In Provincia Mediolanensi extractio prohibita a Gregorio XIII. moderata est a Sixto IV., ut sufficiat licentia Episcopi, non Papae. Cong. Episcop. 16. Feb. 1588.

Reliquiarum detractio in elevatione corporum servorum Dei prohibetur sub poena suspensionis, interdicti et excommunicationis latae sententiae Papae reservatae. *Bened. XIV. tom. 1. Constitut. 46. incip. : De Congregationis Venerabilium etc.*

Reliquiae quaecumque ex Assisiensi Basilica, sub poena excommunicationis Papae reservatae, excepto articulo mortis, aliisque gravibus poenis extrahi sine Pontificia dispensatione prohibentur. *Bened. XIV. in Const. incip. : Fidelis Dominus §. 13.*

*Leo PP. XII.*

V. Fr. Episcopo Calatayeronensi.

Quum, sicut Nobis nuper tui nomine ac Capituli tuae Cathedralis nec non senatus civitatis Calatayeronensis expositum fuit, Ecclesia, quae nunc Cathedralis honore decorata, sub titulo s. Juliani Episcopi ab exordio extitit fundationis, aliqua ejusdem sancti titularis Reliquia fidelium venerationi proponenda omnino careat, quumque

inter Sanctorum Reliquias, quae in Ecclesia fratrum Ordinis minorum s. Francisci Capuccinorum praedictae civitatis asservantur, ea, quam universa efflagitant vota, ita caute et religiose custodiatur, ut sine apostolica Nostra facultate ne minima quidem particula ex illa extrahi possit, cum per felicis recordationis Innocentium PP. X. praedecessorem Nostrum datis, prout asseritur, suis in simili forma brevis apostolicis literis sub censuris et poenis ecclesiasticis quibusdam Reliquiarum ex dicta Capuccinorum Ecclesia eductio fuerit interdicta; preces proinde vestro nomine Nobis oblatae ad id potissimum spectant, ut Nos aliquam ex dicta Reliquia s. Juliani partem extrahi posse sinamus.

Nos igitur, audito prius ministro generali dicti Ordinis, tuis votis benigne annuere ac praedictae civitatis fidelium devotionem in sanctum praedictum confovere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per praesentes committimus, ut partem aliquam Reliquiarum dicti s. Juliani Episcopi ex illis, quae in dicta Ecclesia fratrum Capuccinorum asservantur, servatis servandis, hac tantum vice extrahere, sumptibus Capituli, si qui necessarii sint, et sic extractam ab Ecclesia praedicta ad Cathedralem Calatayronensem apportare et Capitulum praefato tradere valeas, ita tamen, ut Capitulum et Canonici praedicti easdem Reliquias decenter collocare et collocari facere teneantur et pro hujusmodi effectu tibi necessarias et opportunas facultates auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 21. Febr. 1826.  
(Bull. r. Contin. t. XVI. p. 402.)

Gregorius PP. XVI.

V. Fr. Ep. Papiensi.

Literis pridie 9. Dec. ad Nos datis

referebas, venerabilis frater, de arca marmorea, in qua corpus praestantissimi Ecclesiae doctoris s. Augustini asservatur, nuper tuis curis et studio ac opera Papiensium cujusque Ordinis civium instaurata ac translata pie solemniterque ad novum sacellum in isto Cathedrali templo splendido opere exstructum. Addebas autem, tibi ad devotionem populi istius erga s. doctorem magis magisque excitandam intento consilium esse, ut capsulae interiori sacras illas exuvias continenti et jam pene dilapsae substituas aliam nobiliorem atque in anteriori parte crystallinam; cujus quidem rei perficiendae occasione optas insuper non nihil sumere ex fragmentis ossium quodam peculiari saeculo clausis, quo illud in varias thecas rite dispersitum quibusdam dono tribuas, qui de aucta sacri corporis veneratione optime meriti sunt. Quum autem consilio et desiderio eidem tuo literae obstant Bened. XIII. gl. me. decessoris Nostri haec et similia de s. Augustini corpore sub poena excommunicationis eo ipso incurrenda prohibentes, suppliciter Nobis postulas, ut tibi benignam ad ea gerenda veniam tribuamus.

Nos itaque tuam istam pietatem summopere commendantes et propensa ad tua studia voluntatem Nostram libenter tibi hac oblata opportunitate confirmantes auctoritate Nostra apostolica concedimus et impertimur, ut idem s. Augustini corpus in memoratam novam capsulam transferre et ex praedictis sacrorum ossium fragmentis partem aliquam in peculiaribus thecis includendam, iis, qui bene de sacris iisdem exuviis meriti sunt, aliisque quibus tibi opportunum in Domino visum fuerit, donare libere ac licite valeas; scilicet pro hac vice dumtaxat atque ita, ut in re peragenda serves in omnibus instructionem jussu Nostro exaratam, ut moris est, a dilecto filio

magistro Virgilio Pescetelli fidei promotore, quam hisce literis inserendam mandavimus.

#### INSTRUCTIO

Pro Rmo Episcopo Papiensi, ut sepulchrum, in quo sacrum corpus et aliae Reliquiae s. Augustini Episcopi et Ecclesiae doctoris servantur, aperiat et deinde in aliam arcam easdem Reliquias transferre possit et valeat nec non aliquas Reliquias dono dare liceat.

Quum sanctissimus Dominus Noster Gregorius XVI. Pontifex Maximus Rmi Episcopi Papiensis postulationibus adhaerens eidem facultate impertierit, ut in capsulam nobiliorem antieriusque crystallinam corpus s. Augustini Episcopi Hyponensis et Ecclesiae doctoris inferat, quo publica devotio magis excitetur et ex fustulis ossium in sacculo clausis aliquot Reliquias pro hac tantum vice concedat nonnullis de restituto sancti doctoris cultu optime meritis, non obstante prohibitione a sanctae memoriae Benedicto XIII. facta in sua constitutione, quae incipit: *Ad summi Dei gloriam etc.* data apud s. Petrum 10. Calend. Oct. 1728, quae confirmata fuit a sanctae memoriae Pio PP. VI. in brevi sub annulo piscatoris die 3. Oct. 1786, mei muneris est, hanc brevem instructionem dare, ut omnia rite fiant.

Imprimis Rmus Episcopus sive eo legitime impedito ejus Vicarius gen. cum promotore fiscali suaeque curiae notario seu cancellario accedat ad Ecclesiam Cathedrali immo ad sacellum, ubi arca marmorea, in qua servantur ossa s. Augustini, veneratur et colitur; tunc significabit ex gratia Sanctissimi aperiendum esse hoc sepulchrum; poterit etiam ad id invitare aliquot ecclesiasticos viros aliosque sibi benevisos, ut huic actui praesentes sint, cum moderamine tamen. Namque actus debet esse secretus et se-

creto, immo etiam clausis januis et (si commode fieri possit) noctu est peragendus.

Antequam vero ad actum aperitionis perveniat, ex suo cancellario instrumentum seu instrumenta aperitionis urnae auctoritate Pii PP. VI. peractae necnon translationis in Ecclesiam Cathedrali sibi exhibere faciat Episcopus vel eo impedito Vicarius gen., ut diligenter recognoscere valeat arcam et signa, ne dubium ullum remaneat de corporis identitate.

Deinde a fabris murariis vel aliis ad hoc opus accitis extrahere faciat hanc urnam seu arcam et denuo vel primum signa recognoscat. Quum ad actum aperitionis devenerit Rmus Episcopus aut ejus Vicarius generalis, poenam excommunicationis latae sententiae summo Pontifici reservatam indicet contra quoscumque quidquam e sepulchro seu arca, linteaminibus aut hujusmodi auferentes vel quidquam in arcam praedictam inferentes etiam devotionis gratia.

Mox hanc urnam, si commode fieri possit, idem Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis asportari mandabit ad cubiculum aliquod Ecclesiae vel sacrario contiguum et praeparatum prius a Rmo Episcopo aut Vicario generali recognitum curando, ut ad illud ex ostio tantum aditus pateat et si ad fenestram vel fenestras crates ferrea non adsit, curet illam vel illas claudi ac sigillis obsignari posse. Urnam associabunt Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis, promotor fiscalis, notarius seu cancellarius alique omnes, qui extractioni praefatae interfuere, ecclesiastici viri superpelliceo sint induti, intortitia accensa deferant et psalmos de Communi Confessorum Pontificum recitent una cum antiphona: *O doctor optime etc.* cum oratione hujus sancti doctoris, quam dicet Rmus Episcopus vel e clero

dignior, statim ac perventum fuerit ad cubiculum, ubi ossium extractio et repositio fieri debet.

Deposita urna in dicto loco praeparato illoque descripto, quatenus immediate vel ob tarditatem horae vel alia de causa ad illius aperitionem non sit deveniendum, claudetur cubiculum et in pluribus locis obsignabitur sigillis Rmi Episcopi, quod faciendum quoque est in fenestra seu fenestris, dummodo vel in illa vel in illis non habeatur ferrea crates: clausurae et obsignationis actus enuntiabitur a notario in instrumento hujus translationis, clavesque secum deferat et retineat notarius, idque toties fit, quoties re nondum perfecta abire cogatur ad idem rursus cubiculum accessurus.

Die autem sequenti aut alia designanda Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis una cum supradictis accedit ad praefatum cubiculum, factaque recognitione sigillorum in janua appositorum illisque integris et illaeis repertis aperiri illam mandabit, tunc eadem recognitio fiat sigillorum, si in fenestra aut fenestris apposita fuerint. Aperietur deinde arca, in qua reposita sunt ossa s. Augustini, reiterata prius comminatione excommunicationis, ut supra; mox conferetur vetus instrumentum aperitionis arcae cum his, quae ibi inventientur et distincte describentur ossa, praecordia, linteamina, quibus teguntur et quidquid intus repertum fuerit.

Ossa aliaque ex arca eruta collocabuntur super mensam aliquam ibidem decenter paratam et a pulvere aliisque sordibus recte purgata opera et ministerio alicujus idoneae personae specialiter designatae suo apte loco disponuntur et in nova arca nobiliori anteriusque crystallo ornato deponuntur. Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis aliquem anatomicae peritum seligat, ut describere possit, quae sint

ossa aliaque in arca inventa, et opera alicujus personae ecclesiasticae vel alterius idoneae, assistente et opem ferente ecclesiastico viro, in nova arca haec ossa ita aptentur, ut magis devotio excitetur; ideoque nec fictitia effigies, vulgo maschera, nec alia apponantur, quibus plebs in errorem induci possit integram et incorruptam adhuc servari hoc venerandum corpus.

Antequam haec nova arca signis claudatur, Rmus Episcopus vel ejus Vicarius generalis aliquam ex frustulis ossium in sacculo positis partem nec maximam nec minimam extrahat, ut ex illis aliquot Reliquias conflet distribuendas illis, qui de restituto sancti doctoris cultu optime meriti sunt. Sed in literis patentibus seu authenticis harum Reliquiarum fiat mentio de hac speciali concessione nec non de prohibitione arcam iterum aperiendi.

Omnibus ita dispositis ad actus complementum arcam suis signis obsignabit Rmus Episcopus et die et hora sibi benevisa hanc arcam in Ecclesiam transferre in eodem modo, quo supra dictam fuit, ut publicae venerationi exponatur.

De omnibus et singulis ita peractis publicum instrumentum conficiatur, in quo omnia et singula diligentissime sint descripta, cujus exemplar ad S. R. C. mittere curabit Rmus Episcopus.

Caetera, si quae desiderari videantur, commendantur arbitrio, religioni et prudentiae Rmi Episcopi, de cujus doctrina, integritate et fide Sanctissimus Dominus Noster plurimum in Domino confidit.

V. Pescetelli fidei promotor.

G. Fatati S. R. C. Secret.

Haec concedimus ac indulgemus, praecipimus et mandamus non obstantibus praefatis Benedicti XIII. literis aliisque quibuslibet aliorum etiam praedecessorum Nostris interdictis caeteris-

que omnibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud s. Petrum die 13. Febr. 1833.

(Bull. r. Contin. t. XIX. p. 208.)

Vd. *Reliqu.* (inventio.)

#### 21) Falsarum venditio.

*Animadversio contra illos, qui falsas praeferentes Reliquias et literas nomine s. Antonii eleemosynas dolose a fidelibus extorquent.*

#### Summarium.

Fraudes hujusmodi Reliquias adspontantium. — De his arcendis monendae gentes.

*Honorius III. Episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis aliis Ecclesiarum praelatis, ad quos literae istae pervenerint, salutem et apostolicam benedictionem.*

Grave gerimus et indignum quod, sicut nobis relatum est, multoties a multis, imo, sicut jam pene universalis Ecclesia non ignorat, praetextu simulatae religionis, quin potius damnandae cupiditatis obtentu, quidam nomine s. Antonii quasdam regiones percurrunt, qui mendicantes ad opus pauperum eleemosynas seu verius ad luxum proprium extorquentes, praevaricando graviter quod oblata suspiciunt, sed gravius offendendo per causas, quibus simplices ad offerendum inducunt, dum falsa confingendo miracula et ignota ossa pro s. Reliquiis ostendendo, cum falsis literis non solummodo magnatum et regum, verum etiam apostolicis, et aliorum Ecclesiae praelatorum sese in stratis publicis obiciunt peregrinis et locum, in quo s. Antonium asserunt requiescere, inaccessibilem pro latronum insidiis esse dicentes, praecipiant oblationes eorum, quos deceptorum

suffragiorum et orationum promissione solantur. Saepe vero mensam linteo coopertam exponunt et impositis super ea luridis manibus seu pedibus crematorum ad offerendum in ea, tamquam in re aliqua venerabili, devotionem credulorum alliciunt, misericordias Dei multas ex hoc ipso testantes, quod consumpti non sunt et patientiam ejus magnam esse probantes, quod de crematis hujusmodi divinae illudendo virtuti, ipsi ultionis ejus divino iudicio non cremantur, ut de aliis abominationibus taceatur, quas circa praescriptam materiam committere referuntur. Quia igitur abusionis tantae flagitium et tantorum flagitiorum abusum nec volumus nec debemus ulterius sustinere, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus et districte praecipimus, quatenus per parochias vestras denunciare solemniter procuretis, ne quaestoribus hujusmodi, qui proponunt talia vel ostendunt vel impertiantur, auditum vel beneficium largiantur, quin potius eos sicut fures et deceptores sacrilegos et blasphemos confundant et humilient universi. Proviso prudenter, ne dum viri sic pestiferi repelluntur, veris quaestoribus pietatis viscera praecludantur. Quia sic volumus eis auditum vel beneficium denegari, ne viris misericordiae fidelium eleemosynas ad opus pauperum beati Antonii cum humilitate ac veritate petentibus, pius favor et charitativa propter hoc subsidia subtrahuntur. Ea vero, quae nomine beati Antonii noveritis esse collata, consignari ejus Ecclesiae, prout convenit, faciatis, contradictores per censuram ecclesiasticam, sublato appellationis obstaculo, compescentes.

Datum Signiae, 2. Idus Julii, pontificatus nostri anno 7.

Dat. die 14. Julii 1223, pont. an. 7.

(Bull. r. t. III. p. 389. Ed. Aug. Taur. 1858.)

## 22) Genufflexio.

Si loco principe Reliquia ss. crucis super altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerare debent, diversimode vero, sola capitis inclinatione, si praefata Reliquia recondita erit in custodia. n. 4187 ad 12 die 7. Maii 1746.

Vd.: *Cruce* (Reliquia); *Reliquia* (venerat. et usus; decr. n. 4956); *Benedictio cum s. Reliquia*; *Missa cor. s. Cruce expos.*

## Lucionen.

S. R. C. ad Quirinale hodierna die in Ordinario Coetu coadunata quum ab infrascripto Secretario acceperit, pro parte Magistri Caeremoniarum Rmi Episcopi Lucionen. requiri: an Reliquia SSmae Crucis D. N. J. Chr. fidelium venerationi exposita, iisdem Caeremontis honorari debeat, quibus honoratur SSma Eucharistia pariter solemniter exposita, quumque compererit, alias et praesertim sub die 7. Maji 1746 sancitum fuisse, ut ante ipsum lignum Crucis genuflectatur unico genu et ut in thurificatione Sacerdos non genuflecteret, rescribendum censuit: „Dentur Decreta praesertim in Varsavien. diei 7. Maji 1746.“

Atque ita rescripsit servarique mandavit. n. 4785 die 27. Aug. 1836.

*Ad dubium*: An in exposit. Reliquiae s. Crucis in fer. VI. Parasc. Oratio: *Respice, quaesumus*, recitanda sit ante benedictionem a Sacerdote erecto vel genuflexo?

S. C. resp.: Servetur consuetudo. Die 23. Sept. 1837. *In Mutinen.*

## 23) Guttae ss. Sang. J. Chr. et Veli B. V. M.

Parochiali in Ecclesia s. Ambrosii Oppidi Valpolicella Dioecesis Veronen.,

decenti in theca, juxta appositam inscriptionem asservantur sequentes Reliquiae, nimirum: „Gutta Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi, Velum B. M. V. eodem sanguine aspersum, Parva Crux de Cruce Salvatoris.“ Quoniam hae ex dono concessae sunt sub anno 1725, onus ex legato illi inest, quibusdam in diebus publicae venerationi Reliquias exponendi. Ritus autem ex tunc ea occasione servatur, ut scilicet, e loco custodiae ad altare SSmi Sacramenti asportata theca ponatur in throno et decantata solemniter Missa celebrans utroque genu adoret, thurificet triplici ductu populumque uti cum Sacra Eucharistia benedicat reponatque in tabernaculo una cum SSmo Sacramento, ut Vespere idem servari possit. Rubricarum dispositionibus et Decreto S. R. C. anni 1736 iste usus contrarius apparuit Sacerdoti Francisco Negrini recensitae parochialis Archipresbytero Reliquiasque erectus thurificavit neque in tabernaculo amplius reposuit. Hae dissidiorum et controversiarum causa. Ad dissidia itaque componenda prudens Archipresbyter primo Rmum Episcopum dein S. R. C. adivit, ut super exposito ritu decernerent.

Et Sacra eadem Congregatio in ordinario coetu ad Vaticanum sub infrascripta die coacta, exquisita prius sententia R. D. Aloysii Gardellini ejusdem Sacrae Congregationis Assessoris typis excusa, ad relationem Emi et Rmi D. Cardinalis Augustini Rivarola Pontentis, re mature diligenterque discussa, rescribendum censuit: „Juxta Votum Assessoris, nimirum: Citra approbationem Reliquiarum, scribatur Rmo Ordinario, juxta mentem.“ Mens autem est: ut permittat tantummodo illas venerationis et cultus significationes, quae conveniunt Reliquiis de Cruce D. N. J. Chr., prudenter vero suaviterque per se vel

per alios discretos Sacerdotes curet, populum docere et erudire, ne scandalum patiat ex praescripta indebiti cultus reformatione.

Et ita decrevit.

N. 4634 die 22. Septbr. 1827.

## 24) Impositio.

Vd.: *Altare port.* (Execratio, decr. n. 5081, 5162); *Consecr. altaris execr.* (decr. n. 4636 nota); *Altare* (reconcil.); *Reconcil. Eccles.* (a quo facienda? t. III. p. 8); *Reliquiae* (in altari etc.).

## Limburgen.

Redme Domine uti Frater.

Quum ad preces Amplitudinis Tuae haec Sancta ap. Sedes die 15. Jan. 1847 benigne concessit, ut in ista Limburgensi dioecesi super Aris, quae numero non exiguo ob operam ss. Reliquiarum Confessionem, atque ut plurimum ob ipsas reliquias penitus dispersas veterem consecrationem amisisse dicebantur, missae Sacrificium offerri posset, donec in iisdem aris rite novae apponerentur Sanctorum Reliquiae, de germana hujus clausulae significatione ipsa Amplitudo Tua modo dubitans a SS. D. N. PP. Pio IX. enixis precibus postulavit, ut declarare dignaretur: *Utrum in casu nova consecratione altarium, de quibus agitur, opus sit an vero sola appositione novarum SS. Reliquiarum hujusmodi pro semper, ut apta ad celebrandum super iisdem SS. Sacrificium Missae sint habenda?*

Hujusmodi porro preces S. S. clementer accipiens ex speciali gratia indulgere dignata est, ut *Amplitudo Tua vel per se vel per alios etiam simplices Presbyteros hoc tantum* in casu ap. Sedis nomine delegandos authenticas Reliquias SSrum in aris, de quibus agitur, reponat iis tantum servatis caeremoniis, quae in Pontificale rom. praescribantur, dum in sepulchro

reconduntur Reliquiae et superpositus lapis, scilicet ut ungatur s. chrysmate confessio seu sepulchrum et dicatur interim Oratio: *Consecratur et sanctificetur etc.*; postea vero reconditis Reliquiis et superposito ac firmato lapideo operculo dicatur Oratio: *Deus, qui ex omnium etc.* et nihil aliud.

Contrariis non obstantibus quibuscunque.

Romae 12. Aug. 1858.

Amplitudinis Tuae

Uti Frater

C. Ep. Alban. Card. Patrizi

S. R. C. Praef.

H. Capalti Secr.

## 25) Incensatio.

Vd.: *Cruce* (quomodo incensanda?); *De incensatione reliq. in process. cf.: Baldachinum reliquiar. etc.* (decr. n. 4570 et 4227); *Reliquiae* (guttae etc.; expositio; translatio).

Reliquiae non expositae neque a Diacono in Missa neque a Celebrante in Vesperis thurificandae sunt. *Expositae* vero non a Diacono in Missa sed a solo Celebrante, dummodo sint expositae in altari, ubi Missa cantatur; in Vesperis vero, dummodo sint expositae in altari choralis vel in altari Sancto, cujus sunt Reliquiae, dicato, dummodo tamen sint luminibus expositae. n. 2345 ad 2 die 31. (Julii) 1665.

*Incensatio Reliquiar. in imaginibus Sanctorum impositarum* vd.: *Imago Sancti cum Reliquiis etc.* (decr. n. 4153).

Si in altari fuerint Reliquiae seu Imagines Sanctorum, incensatur ter crux et facta ei reverentia, antequam discedat a medio altaris, Celebrans primum incensat eas, quae a dexteris sunt, id est a parte Evang. prope crucem, bis ducens thuribulum, et iterum facta cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quae sunt a

sinistris, id est a parte Epistolae, deinde prosequitur incensationem altaris, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiae vel Imagines.

Caer. Ep. l. I. c. XXIII. n. 6.

Deferente Episcopo aliquam Reliquiam laudabile esse, si Religiosi, juxta quorum monasteria vel Ecclesias transitur, exeunt ipsamque Reliquiam etiam cum thurificatione venerantur, cogi tamen non posse.

N. 1609 die 21. Aug. 1649.

## 26) Incertis reliq. nomina imponuntur.

Vd.: *Reliquiae SS.* (inventio, Const. Benedicti XIV. §. 3. etc.); *Reliqu. baptizatae.*

Circa cultum et venerationem Reliquiarum incerti nominis quoad praeteritum nihil innovandum, quoad futurum, nullatenus baptizandas, quoad *Officium, si certa sit sanctitas, licet incertum nomen*, servetur decretum locale S. C. de Reliquia insigni, non expresse nomine particulari aliquo, ut nec in chartis aut thecis. Quoad *diem* respondendum particularibus casibus. n. 1483 die 19. Dec. 2643.

Cf.: *Reliquiae* (Officii recitatio; baptizatae).

## 27) Insignes.

### a) Missa.

*Ad dubium*: An sacerdos satisfaciat oneri celebrandi Missam de uno s. martyre, cujus insignes et approbatae Reliquiae asservantur religiosissime et publico fidelium cultui expositae, sed de quo saltem nominatim Missam celebrare non licet, cum ejus nomen non legatur in martyrologio romano, si Sacerdos iste celebrat Missam de martyribus generatim et indistincte sumendo Missas communi plur. mm., suppressis nominibus quorumcumque martyrum in Orationibus?

S. C. resp.: Non licere praefatum onus suscipere sed servandum decretum S. C. 11. Aug. 1691 et pro satisfactione oneris jam suscepti celebrent Missam currentem cum applicatione Sacrificii ad mentem benefactoris.

n. 3751 ad 1 die 18. Sept. 1706.

Vd.: *Credo in Missa de Reliquiis insign.*

### b) Octava festi.

Fratres Ord. s. Hieronymi Provinciae Toletanae nullius dioecesis possunt singulis annis die non impedita Officium duplex cum octava recitare de communi plur. mm. in honorem Sanctorum, quorum Reliquias in eorum Ecclesia et monasterio custodiunt et venerantur.

Dio 1. Septbr. 1607. (Anal. J. P. 1863.)

### c) Officium recitandum.

Insignis Reliquia Sancti, ratione cujus dici queat *Credo*, ea est, ratione cujus dupl. Officium recitare potest, scilicet de Sancto, cujus habetur caput, brachium, crus, ea pars corporis, in qua passus est martyr, modo sit integra et non parva. Quodsi corpus habeatur integrum, aut illius magna pars, a fortiori Symbolum in Missa recitari debet. n. 2363 ad 16 die 13. Febr. 1766.

*Ad dubium*: An pro Reliquia insigni possit fieri Officium dupl. juxta decretum, quando scilicet caput, brachium aut crus non sunt integra sed mutilata et partes demptae non sunt, ut conglutinari possint, et si pro Reliquia mutilata fieri possit Officium dupl.?

S. C. resp.: Servandum esse decretum S. C. ad unguem sub die 8. Aprilis 1628. n. 2612 die 3. Decbr. 1672.

*De Sancto*, cujus insign. Reliquia habetur, fieri potest Officium dupl. min. in ejus festo. S. R. C. 23. Nov. 1602.

Celebrari non potest per tot. civitatem vel dioecesim, etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate, festum cum Off., eo quod in loco adsit aliqua Reliquia, sed tantum ubi asservatur corpus aut ins. Reliquia et non alibi. S. R. C. 8. Apr. 1628.

*Ad dubium*: An ratione ss. corporum vel insign. Reliquiarum, quae asservantur in *Cathedr.* vel in alia dioecesis Ecclesia, fieri possit Officium in tota dioecesi vel tantum in ea Ecclesia, in qua praedictae Reliquiae asservantur?

S. C. resp.: Quoad Officia ratione Reliquiarum serventur omnino decreta sub Urbano VIII. edita 8. Apr. 1628 et in Brev. rom. praefixa.

Die 23. Mart. 1771 ad 3. In *Bossanen.*

Possunt recitari Officia s. Flajani m. et s. Eugeniae v. m. et ss. Aemiliani et Aemilianae mm. ratione Reliquiarum insign., sed in *Cathedr.* tantum, ubi asservantur.

Die 23. Mart. 1771 ad 4 et 5. In *Bossanen.*

*Ad dubium*: An Episcopus possit statuere diem dominicam ad celebrandum festum alicujus s. martyris, de quo asservatur Reliquia insignis in Ecclesia?

S. C. resp.: Negative, immo neque posse de eo celebrare Off. et Missam in die ipsa martyrii vel obitus, nisi Reliquia sit de Sancto descripto in martyrol. rom. et constet de identitate Reliquiae ejusdem Sancti.

n. 2170 die 3. Jun. 1662; 3. Jun. 1617.

*Ad dubium*: An liceret sub ritu duplici recitare Officium Inventionis corporum s. Stephani protomartyris et

ss. Placidi et Cornelii mm., de quibus insign. Reliquiae in *Cathedr.* Adiacen. asservantur?

S. C. resp.: Unum festum sub dupl., intuitu Reliquiarum insignium, posse celebrari; ideoque *de s. Stephano* non licere die Inventionis celebrari festum sub duplici, quod jam dupl. celebratur die Martyrii. De ss. vero Placido et Cornelio licere, quatenus eorum dies Martyrii sub duplici celebrari non consuevisset et modo Reliquiae sint insignes ac de illarum identitate Ordinarius ipse non haesitet.

n. 1951 die 15. Febr. 1659.

## URBIS ET ORBIS.

S. C. prohibuit et vetuit celebrari per totam civitatem vel dioecesim etiam de cujuscumque Ordinarii auctoritate Missam vel festum cum Officio de Sancto, eo quod in loco adsit Ecclesia paroch. aut aliqua Reliquia, sed tantum in ipsius Sancti Ecclesia titulari, seu ubi asservatur corpus aut insignis Reliquia.

n. 892 die 13. Jan. 1631.

Non potest fieri Officium de Sancto, eo quod sit in loco ejus nomine Reliquia, nisi in propria Ecclesia, ubi est Reliquia. Conceditur Offic. dupl. min. pro Reliquia insigni et approbata. Reliquia insignis est corpus, caput, brachium, crus et pars, in qua passus est martyr, dummodo sit integra.

n. 2364 ad 2 et 3 die 13. Febr. 1666; n. 4355 ad 4 et 5 die 23. Mart. 1771; 12. Maii 1618.

Habetur in aliquibus Ecclesiis insignis Reliquia alicujus Sancti, qui cum socio est in corpore Breviarii et uterque habet festi simplicis ritum, velut contingit in festo ss. Gervasii et Protasii, quorum duae lectiones vitam amborumque mortem enarrant. Dubitatur: an praed. duae lectiones legendae sint in Officio duplici illius, cujus Reliquia habetur, vel sumendae